



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quarè Deus dedit promissiones hominibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Euangelium, id est, internum cultum & virtutes. Qui ergò illa externa abijcit, quid agit nisi vt etiam intus perturbet directionem cordis, maximè assueti illis traditionibus? Sic incensum, dirigit cor & excitat, vt se sicut fumus eleuet ad Deum: Sic sub alijs cæremonijs agimus causam Dei, quem inuocamus, honoramus, & fidem nostram protestamur, & deuotionem excitamus, atque animum erigimus. Hæc enim Deo placent, quæ sub illis aguntur cæremonijs, & illa assumuntur. Ideò oculos & mentem non oportet figere in id, quod videtur & auditur: sed in hoc, quod sub illis geritur & prætenditur, &c.

CAP. XXII.

ARGUMENTA.

1. *Quare Deus dedit promissiones hominibus.*
2. *Quæ sit propria promissio Euangelij.*
3. *Quæ promissio sit propria legi siue operibus.*



DEVS fecit promissiones varias, & facit eas denunciari per verbum suum propter infirmitatem nostram, ne desperemus in tribulatione, scilicet peccati, quod angustiat conscientiam: mundi, qui pressura sua persequitur: & mortis, quæ minatur æternam damnationem. Voluit ergò Deus consolari & confortari fragilem nostram naturam, vt in omni casu vitæ haberemus, quò confugeremus. Ideò promisit ex gratuita sua misericordia nobis opem, vt in tali promissione consolaremur. Sic ait Apostolus Rom. 15. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per paciẽtiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Nisi enim fecisset nobis Deus promissiones de sua gratia, ope & auxilio distribuendo, quis posset consistere à facie furoris?

roris? Ideò petijt Dauid Psalm. 118. Secundùm misericordiam tuam, scilicet promissam, viuifica me. Et iterùm: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, id est, promissiones, super mel ori meo. Omnium igitur promissionum, nè de illis dubitaremus, dedit nobis Deus pignus Christum filium, propter quem certissimè contingunt, quia Deus mentiri nõ potest, quia dedit etiam nobis filium suum in pignus.

Sunt in scriptura duplices promissiones Dei: vna fit propter fidem in Iesum Christum filium Dei, altera fit propter obedientiam legis & bonorum operum ex fide. Promissio Euangelij hæc est, vt omnis qui credit, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter nostram iustitiam imputandam nobis gratis in accusatione Dæmonis, legis & peccati, Roman. 4. Et quòd Deus pater omnia nobis donat, quæ petimus propter filium Christum: qui sic credit omnia illa de Christo in Euangelio expressa, illi promittitur remissio peccatorum, & vita gratis propter Christum, & non propter opera nostra operata: Fides enim antè omne opus hanc accipit promissionem.

Sic Adam propter semen futurum, id est, Christum non propter suã poenitentia & opera, licet & illa exigantur, accepit promissionem iustificationis. Et Abraham in semine suo secundùm carnem, id est, Christo, qui est hoc semen, Galat. tertio, accepit promissionem hæreditatis, non propter circumcisionem vel legem. Nam hæc promissio antecessit annos quadringentos & triginta dationem legis Moysis in monte Sinai, Exod. 20. Galat. 5. Sic Moysi dicitur Exod. 18. Prophetam suscitabo &c, qui illum nõ audièrit, ego ultor existam, &c. Et Matth 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite, & quoniam hæc promissio fit propter personã Christi, quòd propter illum vult DEVS nobis ignosci gratis,

gratis, ideò dicitur hæc promissio propria Euangelij, quia gratis, id est, sine merito operum nostrorum, sed ppter filium, vult nos reputare iustos. Nò enim possumus hoc mereri à Domino, nempe iustificationem & salutem, ideò hoc ad merendum imposuit filio suo Esai. 53. Ipse peccata nostra portauit, 1. Petr. 2. super ligno, ob id gratis nobis distribuitur propter ipsum Christum, non vt particula, Gratis, excludat fidem, pœnitentiam, & opera, hæc enim exiguntur, sed ideò gratis, quia nò propter nostra opera, sed ppter Christi opus hoc nobis distribuitur. Et quia sine merito nostro hoc accipimus, ideò ex parte nostra gratis accipimus, licet non donetur gratis ex parte Christi, nà ipse vulneratus est propter peccata nostra, Esai. 53. Et hæc promissio salutis & iustitiæ, ideò transfertur in Christum, & nostris adimitur operibus, vt promissio sit firma, Rom. 4. Nunquàm quæta & firma esset conscientia, si iustificatio à nostris pederet operibus: nunquàm enim satis operamur. At quoniã propter Christum distribuitur iustitia & salus, ideò segura est conscientia credens huic promissioni, propter Christum cupiens misericordiam,

2. Sic inquit Paulus, arbitramur hominem iustificari fide sine operibus legis, Rom. 3. Et Petrus Actorum 10. Huic omnes Prophetæ testimoniũ perhibent, &c. & Psalm. 52. Deus in nomine tuo saluum me fac Act. 4. Non est nomen aliud sub cœlo, &c. Lucæ ultimo, prædicare in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum, id est, propter nomen suum nos iustificamur gratis. Oportet igitur semper tenere hanc particulam, Gratis, in animo, vt dubitatio excludatur, & sit firma fides promissionis firmæ. Et ne Euangelium transformetur in legẽ, si esset promissio conditionalis, scilicet vt tunc haberemus remissionem peccatorum quando legi satisfecerimus. Est igitur promissio